NOTES HYMÉNOPTÉROLOGIQUES

Par M. le professeur C.-G. THOMSON, membre honoraire.

TROISIÈME PARTIE.

Observations sur le genre ICHNEUMON

ET

DESCRIPTIONS DE NOUVELLES ESPÈCES.

N° I[er].

(Séance du 23 décembre 1885.)

Genus **Ichneumon** Lin. Wesm.

Subgenus **Eupalamus** Wesm.

Hoc subgenus potius capitis, antennarum petiolique forma quam tarsorum anteriorum, ut voluit Wesmael, structura in feminis distinctum mihi videtur. Caput genis brevibus subbuccatis, in femina sulco lato impresso, in mare brevissimis, costa genali fere continua, vix nisi lævissime inflexa; mandibulis sat validis, apicem versus subattenuatis, dente infero breviore; clypeo apice truncato, labro fere semicirculari; facie brevi, epistomate discreto sed infra antennas haud cornuto; fronte scrobiculis antennalibus magnis, politis, confluentibus, ultra medium extensis, superne leviter angustata, ocellis magnis, vertice haud lato; antennis feminæ paullo infra medium, maris in medio orbitæ interioris oculorum insertis; flagello feminæ medio fortiter dilatato, apice attenuato, postannello scapo infra medium exciso evidenter breviore, maris articulis 7-15 lineis elevatis instructis. Thorax pronoto postice striolato, area coxali distincta, scutello haud transverso, metathoracis areola latitudine sua longiore, parallela, basali brevi, fortiter constricta, spiraculis magnis, linearibus. Alæ superiores subfumatæ, areola pentagona. Abdomen petiolo leniter æqualiter arcuato, ante spiracula latitudine haud altiore, postpetiolo haud strigoso, sed coriaceo vel sublævi, area media quam laterali saltim duplo latiore; segmento 2° gastrocælis parvis, subrugosis, thyridiis haud magnis a basi longe remotis, terebra paullo exserta. Pedes validi, femoribus posticis crassis. Caput temporibus orbita castanea, abdomine nigro, antennis feminæ annulo 7-articulato albo, subtus nigricante. Huc pertinent *E. oscillatorius*, *Trentepohli*, *lacteator*, etc.

1. E. WESMAELI mihi (= *oscillator* var. *b.* Wesm.). — *Niger, scutello postice et postscutello cum annulo lato tibiarum et antennarum albis.* — Long. 15-18 mill.

Habitat in Europa boreali et media.

E. oscillatori magnitudine et statura simillimus, sed scutelli utriusque colore, tarsis intermediis fortius dilatatis præcipueque antennis flagelli articulis 1° et 2° brevioribus, hoc latitudine sua vix longiore distinctus.

2. E. LACTEATOR (Grav. = *depexus* Wesm.).

OBS. Varietatem hujus speciei femoribus et tibiis rufis insignem e Lapponia obtinui.

Subgenus **Exephanes** Wesm.

Uti præcedens etiam hoc genus, non solum crassitie terebræ sed etiam segmento ventrali ultimo feminæ præcedente duplo longiore distinctum, perpaucas species tantum continet, inter quas *E. hilaris* in Suecia australi est inventus.

Subgenus **Ichneumon** Lin. Wesm.

SECTIO 1. — *Abdomen segmentis anterioribus maculis lateralibus albidis ornatis, 2° gastrocælis profundis magnis, 1° apice medio striolato vel aciculato, ultimis in utrinque sexu immaculatis. Caput puncto verticino albo in orbito sito, antennis annulo albo.*

1. I. CENTUM-MACULATUS (Christ.). — *Niger, lineis et punctis albidis numerosis pictus, coxis posticis scopula nulla.* ♀. — Long. 18-20 mill.

Species magnitudine, pictura uberiore, coxis posticis scopula destitutis ab affinibus mox discedens. Caput pone oculos subrotundato-angustatum, genis haud tumidis, mandibulis minus validis; antennis longis, haud spiraliter contortis, scapo profunde exciso, flagelli articulis mediis subdilatatis, 1° latitudine sua saltim duplo longiore; costa genali parum inflexa. Thorax longus, nitidulus, parcius pallido-pubescens, subtiliter haud crebre punctatus; metathorace area petiolari medium superante, basali brevi, lateribus fortius convergentibus, laterali longe descendente, areola subtransversa, apice emarginata, costulam distinctam longe pone medium excipiente, spiraculis magnis linearibus. Alæ subfumatæ stigmate nigro-fusco, radium e medio emittente, hujus apice subflexuoso, areola 5-gena nervum recurrentem in medio excipiente. Abdomen elongatum, lateribus parallelis, segmento ultimo conico, 1° postpetiolo minus dilatato, medio strigoso, thyridiis profundis quam intervallo fere

latioribus, gastrocœlis magnis rugosis, terebra valvulis tenuibus. Pedes haud validi, femoribus posticis extus haud fortiter intus superne subtiliter punctatis, coxis posticis scopula nulla, haud fortiter punctatis. Pectus lateribus tuberculo laterali paullo ante coxas intermedias instructum. Color niger, abdomine cyanescente, segmentis ultimis piceo-stramineo-marginatis; alba sunt maculæ laterales, parvæ subrotundæ segmentorum 1-5, flagelli articulis 8-14 superne, punctum laterale clypei, macula magna in orbitæ exterioris parte dimidia infera, orbita interior utrinque dilatata, macula transversa pronoti et hujus vitta superiori longa, callus infra alas, lineæ 2 mesonoti, scutellum maculæ apicales 2 supra et subtus coxarum lineola in scrobe frenali externe et superne in epicnemiis, semiannulus femorum prope apicem, annulus tibiarum paullo supra medium, tibiæ anticæ margine anteriore; tarsi articulis 3 primis sensim latius sordide albidis.

Habitat in Suecia australi.

2. I. Bohemani (Holmg.). — Obs. *Præcedenti alis similis et affinis, sed segmento 4° ventrali in utroque sexu plica destituto; mas abdomine elongato-ovali, segmentis 1-4 macula laterali ornatis, coxis anterioribus subtus macula apicali, femoribus anterioribus apicem versus, tibiis anterioribus margine anteriore, facie et clypeo albidis, illa macula media infra antennas, hac lunula apicali nigris, antennis scapo subtus tarsisque anterioribus sordide albidis, stigmate fusco-piceo; ab* I. sugillatorii *mare abdominis forma, plica et segmento ultimo dorsali convexo, semirotundo mox discedens.*

Habitat. in Suecia australi.

3. I. sugillatorius (Lin.).

Obs. Hæc species ut sequentes alis areola nervum pone medium excipiente, nervulo fere interstitiali, coxis ♀ scopula apicali distincta discedens; a sequente postpetiolo crasso, medio elevato, postpetiolo haud abrupte dilatato, postice inter carinas vix striolato sed confertim punctato, segmentis 1-4 lateribus subparallelis, macula laterali alba subrotunda ornatis, stigmate fusco-piceo, antennis maris nigris optime distinguenda.

4. I. decrescens mihi. — *Niger, antennis annulo segmentisque 1-4 maculis lateralibus sensim minoribus albis.* — Long. 12-15 mill.

I. sugillatorio alis et scopula affinis, sed antennis flagelli articulis pluribus, ♂ 6-7 albis ornatis, abdomine segmentis 1° medio haud elevato, postpetiolo abrupte dilatato, transverso, medio evidenter striolato, apice

fascia alba, medio interrupta, lateribus dilatata, 2-4 maculis albis sensim magnitudine decrescentibus, lateribus haud plane parallelis, stigmate piceo-rufo, ultimo dorsali maris conico, apice compresso-carinato distinctus.

Habitat in Suecia australi.

Sectio 2. — *Mesosternum lateribus pone medium tuberculo instructum, ante coxas intermedias dentato-elevatum. Abdomen segmentis 2° gastrocælis magnis, 2-7 vel 2-5 ferrugineis. Scutellum pallidum. Metathorax area basali lata, lateribus fortiter convergentibus, areola angusta. Segmentum 3m abdominis depressione basali obsoleta.*

Obs. Ad hanc sectionem pertinent Ichneumones maximi *I. pisorius, fusorius, Cocqueberti,* quibus etiam est associandus *Amblyteles fuscipennis.* Quod ad hanc speciem attinet Holmgren quidem contendit, Linneum sub nomine *I. fusorii, Amblytelem* illum Wesmaeli descripsisse; sed verba Linnei « Frons linea *lutea* ante (pone) singulum oculum; puncta duo *lutea* ad exortum alarum » mihi potius in *I. pisorium* auctorum adhiberi posse videntur. Synonymia itaque tali modo est componenda :

5. I. fusorius (Lin.). — Fauna Suecica, ed. I., n° 966 (descriptio optima); ed. II, n° 1598. — *I. pisorius* Grav. — Wesm. — Holmg.

6. I. pisorius (Lin.). — Fauna Suecica, ed. I, n° 968 (descriptio optima); ed. II, n° 1589.

7. I. Cocqueberti (Wesm. — Holmg.).

8. I. similatorius (Holmg. forte). — Obs. Linnei descriptio plane eadem in editione prima Faunæ Suecicæ ac in secunda clare demonstrat *I. pisorium* haud speciem esse, quam auctores recentiores intellexerunt. Nam « thorax niger; a capite versus utrinque linea *albida;* sub alarum insertionibus punctum *albicans* » et « antennæ spiraliter inflexæ » accuratissime *I. Cocqberti* (Wesm.) exhibent. Forsitan ad eamdem speciem est referendus *I. similatorius* (Holmgren), nam magnitudo (18-20 mill.) et maris « facies straminea » vix huic competunt.

Sectio 3. — *Abdomen segmentis ultimis dorsalibus haud albo- vel flavo-maculatis, postpetiolo medio striolato vel aciculato, 2° thyridiis profundis et magnis, gastrocælis rugosis. Caput puncto verticino albo sæpissime ornatum; clypeo apice sæpius subbisinuato; antennis validis, flagello medio ♀ plerumque dilatato, postannello scapo breviore; genis brevibus; mandibulis haud debilibus. Metathorax costula sæpissime distincta areola*

rarissime quadrata, plerumque brevi et antice angustata, postice aperta vel costa angulata occlusa. Mesosternum sæpe tuberculo parvo laterali pone medium instructum.

9. I. MICROSTICTUS (Grav.). — OBS. Hæc species ab Holmgrenio consideratur ut varietas sola *I. lineatoris* (Grav.), sed differt corpore semper majore et abdomine apicem versus castaneo, capite pone oculos magis angustato, fronte supra antennas profundius excavata, notacuis fere obsoletis, areola metathoracis longiore, feminæ latitudine paullo longiore, costa laterali postice magis extrorsum flexuosa, femina præterea antennis annulo albo 8-articulato, coxis intermediis punctis grossis parce obsitis, posticis scopula breviore, apicem tantum internum occupante.

10. I. IMPRESSOR (Zett.). — OBS. Ita hanc speciem spectet forsitan *I. inquilinus* (Holmg.), sed vix *I. nigricornis* (Wesm.), qui major (long. 7-8 lin.) a suo auctore describitur.

11. I. TRUNCATULUS mihi. — *Niger, antennis ♀ annulo albo, abdomine, petiolo excepto, tibiisque rufis, his apice nigris; capite pone oculos haud angustato.* — Long. 12 mill.

I. castaneiventri (Grav.) statura, magnitudine et colore, feminæ terebra sat longe exserta, metathoracis areola postice aperta, costula nulla, antennis medio sat fortiter dilatato-compressis, alarum areola superne sat angustata similis et affinis; sed capite vertice haud angustato, minus lato, fronte ante ocellos subtilius haud rugoso-punctata, clypeo apice subemarginato-truncato, tarsis posticis totis nigris, areola metathoracis paullo breviore bene distinctus. Mas differt puncto verticino albo distincto, scutello ultra medium marginato, punctulis 2 apicalibus albidis notato, areola metathoracis subclausa, transversa, abdomine subovali elongato, segmentis 2-6 macula nigra magna basali, sensim minore ornatis, 1° postpetiolo exacto quadrato, medio striato, 2° intervallo fortiter subrugoso-striato, faciei et clypei lateribus albidis.

Habitat in Suecia australi.

12. I. ANOSPILUS mihi. — *Niger, antennis annulo albido, segmentis 2-7 et postpetiolo testaceis, tibiis et tarsis basin versus ferrugineis, thoracis costula distincta.* — Long. 14 mill.

Præcedenti coxis posticis scopula nulla, postpetiolo abdominis medio subtilissime striolato, impressione segmenti 3ii basali minus profunda coloreque affinis; sed major, capite pone oculos leniter angustato, clypeo apice utrinque obsolete sinuato, metathoracis areola quidem brevi, sed

postice subclausa, fere quadrata, lateribus haud plane rectis, costula valida; alis areola superne minus convergente; abdominis terebra paullo breviore, segmento 1° apice ferrugineo-testaceo; pedibus fere crassioribus, tarsis basin versus pallidioribus discedens.

Habitat in Suecia australi.

Sectio 4. — *Caput pone oculos angustatum, genis longis, mandibulis haud validis, vertice interdum puncto orbitali albido ornato; antennis gracilibus, apicem versus, subsetaceis, supra medium leniter dilatatis. Thorax sæpius confertim, præsertim mesonoto, punctatus, areis distinctis. Abdomen obsoletius punctatum, postpetiolo medio striolato vel subrugoso-striato, segmenti 2i gastrocœlis sat profundis sed minus rugosis, thyridiis magnis fere usque ad latera extensis, profundis quam intervallo latioribus. Pedes minus validis. Mesosternum tuberculo laterali nullo. Abdomen apice haud maculato.*

13. I. ephippium (Holmg.). — Mas : abdomine segmentis 2-6 rufo-castaneis, macula basali magna nigra, sensim minore ornatis, 6° haud transverso, 1° postpetiolo fere quadrato; thorace nitidulo, areola subquadrata, costula distincta; alis fere hyalinis, areola parva, superne sat angustata, tegulis macula laterali callo infra alas toto, linea pronoti laterali fere usque ad alas extensa, scutello toto et postscutelli margine postico albidis; antennis sat crassis, nigris, scapo subtus, ore facieque albis, hac macula media clypeique parva apicali nigris; pedibus nigris, coxis anterioribus macula sat magna apicali alba, femoribus anterioribus apicem versus rufo-stramineis, tibiis tarsisque fere albidis, tibiis posticis calcaribus haud longis obscure ferrugineis, basi et apice latius nigris, femoribus supra piceo-ferrugineis.

Habitat in Suecia boreali.

14. I. rufinus (Grav. nec Holmg.). — Obs. Hæc species, cujus femina in coxis posticis subtus apicem versus scopula parva sed tuberculo nullo instructa est, etiam in Suecia australi est inventa; variat interdum femoribus tibiisque fere totis nigris. Forte eadem species ac *I. Helleri* (Holmg.).

15. I. simulosus mihi. — *Niger, femoribus tibiisque rufis, abdomine segmentis 3 primis crebre striolatis, feminæ rufis, hac annulo antennali albo.* — Long. 8 mill.

I. rufino magnitudine, statura, antennisque gracilibus, similis et affinis, sed sculptura segmentorum anteriorum ab omnibus mox distinctus. Caput triangulare, pone oculos angustatum, clypeo apice rotundato-truncato;

antennæ feminæ paullo infra medium orbitæ interioris faciei insertæ, tenues medio subrecurvæ, nigræ, flagelli articulis 7-11 albis subtus nigræ; maris in medio insertæ, totæ nigræ, orbita faciali haud late albida. Thorax cum scutello, callis et tegulis niger; metathorace areola brevi, apice subarcuata, clausa, antrorsum angustata, nitidula, costulam validam longe pone medium excipiente, area dentipara fere mutica. Alæ parum fumatæ, nervulo fere interstitiali, areola 5-gona. Abdomen apice acuminatum, terebra sat exserta; segmentis 3 primis ♀ rufis, 1° sat lato, carinis inter spiracula fortius elevatis, postpetiolo dense striato, transverso, 2° thyridiis magnis, obliquis, intervallo angusto, dense fere usque ad apicem striolato, 3° impressione basali profunda, medio paullo brevius striolato. Pedes graciles; femoribus tibiisque rufis, genubus posticis nigris.

Habitat in Suecia australi.

16. I. SCUTELLATOR (Grav.). — OBS. Hæc species, quæ ab *I. 3-lineato* (Grav.) præsertim capite pone oculos latiore, temporibus magis productis et linea laterali scutelli pallida longiore differt, in Suecia australi etiam est inventa. Variat segmentis 2° et 3° totis vel ex parte rubris.

17. I. SILVANUS (Holmg.). — OBS. Hic Ichneumon ab Holmgren in sectione sua prima collocatus, potius propter habitum totum, antennas graciles, genas sat longas, thyridias magnas transversas locum naturalem prope *I. pistorium* habere mihi videtur. Specimen e Suecia boreali acceptum tantum postscutello albo, epicnemis superne linea ferruginea notatis, tarsis anterioribus articulis 3 primis medio sordide rufescenti-albis, costa genali plane continua differt.

SECTIO 5. — *Abdomen ano supra feminæ semper, maris rarius albo- vel flavo notatum; segmentis 1° postice inter carinas striolato, 2° thyridiis mediocribus vel magnis, gastrocœlis costulis semper pluribus distinctis, 2° et 3° sæpissime rufis vel flavo-stramineis. Alæ stigmate sæpius pallido. Metathorax areola plerumque lateribus parallela, feminæ sæpius costula nulla. Caput puncto nullo albo in orbita verticis, orbita posteriore haud pallida. Antennæ maris haud, feminæ sæpissime albo-annulatæ.*

DIVISIO 1. — *Scutellum album vel flavidum, variat rarissime nigrum, fovea basali sat lata. Antennæ scapo saltim ad medium exciso.*

Manipulus 1. Feminæ antennis subfiliformibus, rarius supra medium fortius dilatato-compressis, postannello scapo breviore; genis sæpe buccatis, mandibularum basi haud longioribus, his sat validis, apicem ver-

sus minus angustatis; thoracis areola latitudine sua sæpissime evidenter longiore, scutello haud convexo; coxis posticis apicem versus haud raro scopula e pube condensata formata instructis. Mares flagelli articulo 2° latitudine sua parum longiore; genis mandibularum basi brevioribus; thoracis scutello rarius convexo, areola haud transversa; abdomen lateribus fere parallelis, segmento 2° latitudine sua longiore, thyridiis haud maximis, 3° quadrato vel latitudine sua parum breviore, utroque flavo vel stramineo, rarius rufo- vel basi nigro-maculatis.

a) *Abdomen feminæ segmentis 2° et 3° nigris, interdum colore sordide stramineo vel rufescenti immixto, maris flavis, basin versus croceis vel nigris; hujus femora postica basi extus sat late rufa, intus latius stramineo-rufa, tarsi postici flavi, articulis ultimis sæpius nigro-fuscis, abdomen segmentis 3° fere transverso, 3-7 haud plane parallelis.*

b) *Antennæ ♀ subfiliformes; tibiæ annulo lato albo.*

18. I. CRASSIFEMUR mihi. — *Niger, annulo antennarum et tibiarum lato aldido, scutello et maculis analibus flavo-albidis, coxis posticis subtus scopula distincta.* — Long. 12-15 mill.

I. molitorio statura, colore et scopula coxali similis sed paullo minor, scutello haud albido, antennis flagello apicem versus minus attenuato, articulis brevioribus, 2° crassitie sua parum longiore, femoribus posticis validioribus, extus punctatissimis, limbo infero læviusculo punctis paucis tantum impressis discedens; mas facie tota vel maxima parte flava, antennis scapo subtus flavescenti, flagello basin versus minus, apice latius subtus ferruginea, pronoto interdum margine supero pallido, macula ante alas subtriangulari et exteriore tegulæ cum radice flavis; scutello albido-flavo, haud brevi, vix convexo; abdomine segmentis 2° apice quam basi evidentius latiore, thyridiis obliquis, gastrocœlis sat rugosis, rarius cum 3° flavis basi croceis, sæpissime basi latius vel angustius nigris; pedibus femorum anteriorum macula magna posteriore nigra, tibiis posticis apice late nigris, tarsis posticis rarissime totis flavis, articulis ultimis sæpissime supra vel apicem versus nigricantibus.

Habitat in Suecia et Germania.

19. I. MOLITORIUS (Lin.). — OBS. Præcedenti similis et affinis, sed ♀ major antennis flagello apicem versus magis subattenuato articulis longioribus, scutello albido, femoribus posticis minus validis extusque totis confertim punctatis : mas postscutello et callo toto infra alas flavis, thorace densius et longius pubescenti, mesonoto cum genis crebrius fortiusque punctato, abdomine paullo latiore distincti.

20. I. MELANOTIS (Holmg.). — OBS. Species præcedentibus affinis, sed antennis paullo tenuioribus, flagelli articulis 6 primis nigris, coxis posticis apicem versus densius punctatis et pubescentibus sed scopula nulla, tarsis angustioribus discedens.

bb) *Antennæ ♀ medio fortiter compresso-dilatatæ, scopula coxali distincta vel subobsoleta; tibiæ medio vel maxima parte rufæ.*

21. I. COMPUTATORIUS (Grav.). — OBS. Tibiis fere totis rufis antennarumque structura femina ab *I. molitorio* mox distincta. Mas ab Holmgren descriptus ad *I. suspiciosum* (Wesm.) pertinet, nec credo marem dubie a Wesmael ad hanc speciem relatum cum *I. computatorio* associari posse, nam color tibiarum et rugositas inter gastrocœlos potius ad quemdam *Amblytelem* spectare mihi videntur. Verisimile est verum *I. computatorii* marem cum *I. molitorio* in plerisque notis, exceptis forsitan antennis validioribus, congruere.

22. I. BREVIGENA mihi. — *Niger, antennis annulo albido, scutello atque supra substramineis, tibiis fere totis rufis; genis brevibus, scopula nulla.* — Long. 12 mill.

I. computatorio tibiarum colore similis, sed antennis multo minus dilatatis, scutello pallide citrino, metathorace magis rugoso-punctato et coxis posticis scopula destitutis mox discedens; ab *I. melanoti*, cui coxis posticis et scutello colore similis, antennis paullo magis dilatatis, annulo albo tantum 6-articulato, subtus fusco, tibiarum colore clypeo lateribus piceo-rufis bene distinctus.

Specimina e Germania, ut « *I. computatorius* » a Tischbein determinata obtinui.

aa) *Abdomen segmento 2° et 3° rufis vel testaceis, maris sæpius stramineis. Antennæ feminæ longe infra, maris paullo infra medium orbitæ interioris faciei insertæ.*

c) *Abdomen ♀ segmento 5° macula magna, quam 6^1^ plerumque majore, pallida ornato; coxæ posticæ scopula nulla; antennæ minus validæ; scutellum haud flavum; caput genis buccatis; areola metathoracis oblongo-quadrata. Mas antennis flagello toto nigro; facie et clypeo maxima parte flavis; pedum posticorum femoribus nigris, basi extus vix, intus macula parva rufa notatis, tarsis totis flavis vel articulis apice summo fusco-ferrugineis. Corpus magnum genis buccatis.*

23. I. BUCCULENTUS (Wesm.). — OBS. Species costa genali in utroque sexu fortiter inflexa, femina costa ovali laminato-elevata, mandibulis

margine infero sinuato, apice lato dente supero majore; mas costa ovali vix elevata, scutello albido, segmentis abdominis 2° et 3° flavo-stramineis pedum posticorum colore ab affinibus optime distinguenda.

24. I. suspiciosus (Wesm.). — Obs. Femina abdomine segmentis 3-7 maculis sensim angustioribus præcedenti affinis, sed costa genali parum inflexa, ovali vix nisi lævissime elevata, tibiis medio stramineis, mandibulis dente supero majore, etsi parum acuto; mas capite pone oculos parum angustato, abdominis segmentis 2° et 3° semper rufis, scutello parum elevato haud flavo, mandibulis dorso ante apicem convexo-lævigato, pedum colore ab affinibus bene distincti.

cc) *Abdomen ♀ segmento 5 macula nulla vel parva pallida ornato; costa genalis haud vel vix elevata.*

d) *Tarsi ♀ haud vel parum dilatati.*

e) *Coxæ posticæ ♀ scopula nulla.*

25. I. terminatorius (Grav.). — Obs. Species in utroque sexu tarsis posticis flavis, femoribus posticis summa basi tantum rufis, mesonoto fortius punctato, pleuris et temporibus longius, minus tenuiter fulvo-griseo-pubescentibus, metathorace rugoso-punctato, areola postice angustata, costulam distinctam vel obsoletam ante medium excipiente, scutello flavo, alis flavescentibus; femina maculis 3 analibus angustis citrinis, prima minore, femoribus posticis punctatissimis intus limbo infero solo lævi, segmento 3° fascia basali nigra; mas scutello convexo, antennis flagello nigro, facie cum orbitis frontalibus flavis, postpetiolo medio fortius fere rimuloso-striato, obtime distinguendi. Mas sub hoc nomine ab Holmgren descriptus ad *I. molitorium* pertinet.

26. I. macrocerus mihi. — *Niger, antennis subattenuatis minus validis annulo albo, scutello maculisque analibus flavo-albidis, tibiis medio stramineis.* — Long. 10-12 mill.

Species *I. confusorio* similis et affinis sed paullo major, coxis posticis scopula nulla, antennis apice magis attenuatis, flagelli articulo 2° latitudine sua sesqui longiore, capite genis paullo longioribus, abdomine segmento 4° limbo apicali haud pallido, 3° interdum fascia basali nigra; ab *I. luctatorio* coxis posticis scopula nulla, femoribus posticis extus totis punctatis, capite minus brevi, antennis apicem versus multo magis attenuatis, longioribus, tibiis posticis stramineis, ima basi fuscis, apice sat late nigro, colore rufescenti versus medium immixta : mas *I. luctatorii* mari simillimus, tarsis posticis nempe apicem versus nigris, abdo-

mine lateribus parallelo, segmentis 3° quadrato et 2° stramineis, thyridiis obliquis cum gastrocœlis sat profundis, areola thoracis subquadrata, sed differt capite fortius pone oculos angustato, clypeo apice truncato cum facie, orbitis frontalibus et scutello connexiore flavis, flagello subtus ochraceo, coxis anterioribus subtus puncto apicali pallido, tibiis intermediis apice intus numquam nigro notatis.

Habitat in Suecia australi et Germania.

27. I. GRACILENTUS (Wesm.). — OBS. Species scutello latitudine sua longiore, flavescenti, punctulato, postice strigoso, areola metathoracis latitudine sua longiore; femina capite antrorsum viso subtriangulari, costa anali obsolete elevata, orbita frontali rufescenti, coxis intermediis crebre punctatis parum nitidis; mas clypeo apice late rotundato, antennis flagello subtus ferrugineo, tarsis posticis flavis immaculatis, orbitis frontalibus et postscutello plerumque flavis, abdomine elongato, lateribus subparallelis segmentis 3° quadrato et 2° stramineis, rarius croceis, femoribus posticis vix nisi summa basi rufescentibus ab affinibus optime distinguenda.

28. I. ALBIGER (Wesm. = *tempestivus* Holmg.). — Præcedenti antennis apice vix attenuatis, femoribus posticis extus confertim punctatis tibiisque anterioribus minus spinolosis affinis sed differt femina capite antrorsum viso subrotundo, genis buccatis, orbitis frontalibus vix rufis, tibiis interdum medio stramineis, coxis intermediis nitidis, parcius punctatis; mas clypeo apice subemarginato-truncato, flagello subtus croceo, tarsis posticis apice et tibiis intermediis interne linea apicali plerumque nigris, scutello præsertim feminæ breviore et minus punctato areola metathoracis minus elongata facillime distinguendus.

29. I. LONGEAREOLATUS mihi. — *Elongatus, niger, antennis filiformibus annulo, scutello maculisque 2 analibus albidis, genubus anterioribus, tibiis tarsisque rufis, posticis apice nigris.* — Long. 12 mill.

Præcedentibus statura et colore simillimus, sed paullo major, areola metathoracis in utroque sexu longiore; femina antennis paullo longioribus femoribus posticis crassioribus, limbo infero sublævi; mas *I. albigero* faciei, clypei, antennarum pedumque colore similis, sed capite pone oculos fortius angustata, tibiis posticis dimidio apicali nigro præcipueque segmentis 3° et 2° rufis, hoc latitudinis basali duplo longiore bene distinctus.

Habitat in Suecia australi.

30. I. GIBBULUS mihi. — *Niger, antennis tricoloribus, annulo medio,*

scutello maculisque 2 analibus albidis, genubus anterioribus, tibiis tarsisque rufis, posticis apice nigris. — Long. 12 mill.

Species a præcedentibus antennis apicem versus subattenuatis, flagelli articulis 6 primis rufis, postpetiolo pone medium subgibboso-elevato, scutello haud transverso et postscutello flavo-albidis, pedum posticorum femoribus externe totis punctatis, tarsis rufis; mas *I. gracilento* simillimus sed clypeo lato flavo apice truncato optime distinguendus.

Habitat in Suecia australi.

31. I. cædator (Grav. = *decipiens* Holmg.). — Obs. *I. decipiens,* ano etiam maris supra albo insignis, ad *I. cædatorem* (Grav.), nec ad *I. multipictum* (Grav.) pertinet, ut Holmgren contendit; nam Wesmael (in Remarques, etc.) expressis verbis de *I. multipicto* dicit: « les gastrocèles sont très peu profonds, transverso-linéaires », dum gastrocæli *I. cædatoris* sunt parvi, nullo modo vero transversi.

32. I. rarus (Tichb.). — Obs. Varietatem hujus speciei, femoribus et tibiis rufis posticis apice nigris insignis, in Suecia australi inveni. Differt a descriptione tantum pronoti macula didyma cum tegulis rufescentibus, antennarum articulis 3-8 nigris, apice ferrugineis.

33. I. spiracularis mihi. — *Niger, antennis annulo, scutello maculisque 2 parvis analibus albis, segmentis 2° et 3° sordide rufescentibus, pedibus pro parte rufis, spiraculis metathoracis rotundis.* — Long. 8 mill.

Habitus omnino *I. latratoris,* sed colore albo scutelli diversus, ab omnibus spiraculis metathoracis minimis, rotundis mox discedens. Caput pone oculos parum angustatum, nigrum, ore obscure rufo; antennis minus validis apicem versus subattenuatis, articulis 2 primis piceo-rufis, nigro-maculatis, 3-6 rufis, 7-8 supra nigris, 9-13 albidis, subtus fuscis. Thorax collo superne tegulisque ferrugineis. Alæ stigmate pallide testaceo. Abdomen segmentis 1-3 rufescentibus, 1° fortiter dilatato, postpetiolo subtilissime striolato, carinis dorsalibus nullis. Metathorax areola latitudine sua parum longiore, postice aperta, costa laterali obsoleta, costulæ nullæ. Pedes rufi, sat validi, coxis, trochanterum articulo 1° femoribusque posticis, triente basali exepto, nigris.

Habitat in Suecia boreali.

34. I. mordax (Kriechb.). — Obs. Species colore *I. calosceli* (Wesm.) similis; metathoracis areola oblongo-quadrata, mandibulis rufo-piceis, apicem versus vix angustatis, antennis tricoloribus, apicem versus subattenuatis, orbita frontali late rubricosa, tarsis tibiisque rufis, his medio

anguste stramineis, anterioribus fortius spinulosis, coxis posterioribus nitidis, parce fortiter punctatis ab affinibus facillime distinguenda.

Habitat in Suecia australi.

35. I. PUNCTUS (Wesm.). — OBS. Hæc species propter abdominis formam et sculpturam antennisque haud spiraliter contortis forsitan melius prope *Amblytelem melanocastanum* sit collocanda.

36. I. PROLETARIUS (Wesm.). — OBS. Cum hac specie, antennis tantum 26 articulatis, capite et thorace tenuius griseo-albido-pubescentibus, clypeoque fere lævi distincta, *I. rufolineatus* (Holmg.) ut varietas conjungendus esse mihi videtur.

ee) *Coxæ posticæ ♀ subtus apice scopula vel tuberculo instructæ.*

37. I. CEREBROSUS (Wesm.).

OBS. 1. Species sub hoc nomine ab Holmgren descripta ad *I. tuberculipedem* (Wesm.) pertinet.

OBS. 2. Mas adhuc incognitus, nam talis qualis a Kriechbaumer « abdomine fusiformi-elliptico » describitur, potius ad *I. gracilicornem* (Grav.) aut etiam huic affinem speciem pertinet, cum omnes mares hujus divisionis abdomine elongato lateribus fere parallelis et segmento 3° haud vel vix transverso præditi sint.

38. I. EXTENSORIUS (Lin. = *luctatorius* ♂ Holmg.).

OBS. 1. Hæc species eadem est ac *I. retractus* (Tischb.).

OBS. 2. Mares nonnullos ad hanc speciem pertinentes ut « *I. suspiciosus* » mihi misit Dr Kriechbaumer.

OBS. 3. Gemina scopula parva sed distincta, antennis apice vix attenuatis, femoribus posticis basi piceo-rufis, extus punctatissimis sed limbo infero sublævi, tarsis posticis interdum apice fuscis, cum genubus anterioribus et tibiis rufis, his anterioribus sat spinulosis, posticis apice nigris, annulo antennali, scutello depresso et maculis 2 analibus albidis optime dignoscenda : mas *I. macroceri* mari simillimus sed capite pone oculos minus angustato, tibiis intermediis sæpissime linea interna apicali nigra ornatis, scutello minus elevato minusque flavo, præcipueque clypeo apice rotundato cum facie haud tota flavo, antennis flagello subtus obscure ferrugineo; ab *I. bucculento* et *suspicioso* tarsis posticis apicem versus nigris, scutello magis flavo, flagello haud toto nigro; ab *I. gracilento* posticorum colore, thyridiis majoribus facillime distinguendus.

Obs. 4. Descriptio Linnæi *I. luctatorii* in multas species similiter coloratas quadrat optime tamen in *Amblytelem litigiosum.* (Wesm.).

39. I. grandicornis mihi. — *Niger, antennis medio fortiter dilatatis medio maculisque 2 analibus albidis, scutello depresso flavo-albido, abdominis medio, genubus anterioribus tarsis tibiisque rufescentibus.* — Long. 12 mill.

I. arieti (Kriechb.) proximus, antennis fere ut in *I. computatorio* formatis, coxis posticis scopula apicali griseo-albida ab omnibus mox discedens. Caput pone oculos parvum angustatum, antennis medio validis, apicem versus fortius angustatis, sed articulis 3° quam 1° paullo breviore, 8-15 albidis; mandibulis piceis, orbita frontali tenuiter rufescenti. Thorax oblongus, collo antice et tegulis ferrugineis, scutello depresso, haud transverso, flavo-albido; metathorace crebre punctato-rugoso, haud nitidulo, areola latitudine sua evidenter longiore, sed lateribus et apice fere aperta, costa laterali obsoleta, spiraculis angustis. Alæ flavescenti-hyalinæ, nervis et stigmate pallide testaceis, radice flavescenti. Abdomen elongatum, apice subcompresso-angustato, segmentis 6° et 7° macula dorsali albida, 2-4 rufis, 4° apice nigro, 2° confertim punctato gastrocœlis haud magnis sed sat profundis, latitudine sua apicali parum breviore, 1° apice piceo, postpetiolo dense striolato, angulis posticis subacutis, terebra sat exserta. Pedes minus validi nigri, femoribus anterioribus apice sat late, posticis basi, interne paullo latius rufescentibus, trochanterum articulo 2°, tarsis tibiisque rufo-testaceis, his posticis apice summo externe fusco, coxis posticis apice scopula sat distincta, e pilis sericeis griseo-albidis condensatis formata instructis.

Habitat in Lapponia.